

Q.N. 132, 31.

X 2005030

Ya
5724

DISPUTATIO CIRCULARIS MEDICA
DE

CEREVISIA ERFURTENSIS,

Quam

SUMMI NUMINIS AUXILIO

Et

CONSENSU

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN

PERVETUSTA ELECTORALI GERANA

PRÆSIDE

JOANNE PHILIPPO EYSELIO,

Med. Doctore & Professore Publico Extraordinario,

Publicæ Eruditorum Ventilationi subijciet

RESPONDENS

CHRISTIANUS Melbigk /

Cölleda (ad Lössam) Thuringus,

Ad diem 17. (27.) Majj Anno 1689.

Loco Horisqve consvetis.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS,

BIBLIOTHECA
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



Q. D. B. V.

§. I.



Uemadmodum ij malè agunt, qui in verborum significationibus nimiam diligentiam ostentare sustinent, vocabulis ludunt & verba curiosius, quàm rem aspiciunt: Sic quoque illi, qui significationes vocabulorum varias planè negligunt, eandem subeunt & merentur censuram. Quare ut mediâ tanquam tutissimâ incedamus viâ, pauca quædam circa vocem ipsam ejusque significationem præmittere lubet. Derivatur Cerevisia à Cerere inventrice apud Ethnicos frugum Dea, quod Cereris l. frugum virtus in eo liquore dominetur. Nonnulli judicant, quod sit vocabulum Barbarum partim ex Latino, partim ex Gallico sermone conflatum, ceria enim est potus, Gallicis & Hispanis familiaris. Quoniam verò Latini integræ illius vocis olim ignari fuerunt, ideoque prolixitati parcentes, curiosum Lectorem ad Philologos remittimus & sequenti modo definimus: Cerevisia Erfurtensis est liquor potulentus, ex hordeo certâ ratione tosto & in polentam redacto, & floribus lupuli salictarii cum aqua communi vitio vel culpâ carente, debite decoctus ac paratus, concurrente insimul
justâ

justâ fermentatione, aliisq̄ue requisitis operationibus
adhibitis. Quanquam verò hæc definitio aliis quo-
que competat cerevisiis, tamen nostrum studium
jam solùm occupatum erit de tali cerevisiâ Erfurteni
fortiori, quæ more veterum coquitur, quemadmo-
dum iis notissima est, qui hujus loci atque incolarum
conditionis gnari sunt. Meritò ergò excludimus eas,
quæ privatim coquuntur, nec adeò fortes sunt, de
quibus non prædicari potest, quod sint vini vicariæ
ac illi substitutæ. Unde Ægyptiis cerevisia fortis vi-
num hordeaceum dicebatur, sic quoque Cornelius
Tacitus de situ, moribus & populis Germaniæ scribit
sequentia de Cerevisia: Potui humor ex hordeo aut
frumento in quandam similitudinem vini corruptus.
Hinc ratione originis, quæ scilicet sint loca natalia,
quos autores vel inventores agnoscant, supersede-
mus anxie inquirere, cum ex scriptoribus certiores
reddi possint, qui velint.

§. II.

Liquorem esse potulentum cerevisiam Erfur-
tensem, patet ex fluxili ac liquida substantia, quæ sitis
extinguendæ gratiâ assumitur. Quod attinet ingre-
dientia, illa sunt polenta hordeacea minùs taxanda,
aqua visu, gustu & olfactu pura ac sincera & omni
vitio carens, bonique lupuli salictarii flores. Pauca
priùs dicenda de polentæ hordeacæ præparatione:

)2(

Hordeum

Hordeum per biduum vel triduum in vase aliquo amplo, aquâ clarâ maceratur, quousque ad crescendo & progerminandum aptum reddatur. Mox exemptum reponitur in cellam, donec germinare incipiat; Postea mediante ignis moderatô gradu super tabulatum & quidem interposito panno setaceo torretur & exsiccat. Præparationis ratione hæc polenta in molendinâ frangitur & in farinam crassiorem & spissiore redigitur. Deinde cum aqua calidâ per aliquot horas cocta miscetur, & à servis hiscè operationibus peculiariter destinatis per horam probè movetur & agitur, talisque mixtura in vase tecto asservatur, tamque diù quies conceditur, usque dum confideat crassa polentæ materia, & liquor clarus per filtrum stramineum separetur, aliqualis portio liquoris cum lupuli salictarii floribus in aheno usitato per plures horas tamdiù coquitur, donec magnam amaritudinis partem deponat, postea cum priore liquore miscetur & coquitur, & ad frigesendum reponitur, quo facto, debito tempore fermentatio cum fæcibus instituitur & doliis ritè picatis tempestivè includitur, in quibus tamdiù asservatur, usque dum clara evadat & à fæcibus liberetur. In præparatione verò non excludimus bonum peritum ac attentum Zythepsam, qui aquæ, loci modique veteris præparandi cerevisiam gnarus sit, uti & necessariò requirimus coelum aërem.

æremque benignum, experientia enim quotidiana
comprobat, quod fulgura facile corrumpant cerevi-
siam, præcipuè cum adhuc calens & recens sit, quan-
do fulmen cadit, nisi que profundius in cellis & cadis
probè clausis illa asservetur, observamus quoque,
quod cerevisia in doliis florente hordeo turbetur,
quemadmodum vinum, florente vite, hæc enim &
similia non levia subministrant obstacula, quò minùs
clara cerevisia evadat, multo que magis inde redda-
tur turbida & acida.

§. III.

Ex his videmus, quàm facile cerevisia degenera-
re hujusque virtus in vitium verti possit, si hordeum,
aqua, aer, præparatio aut aliæ operationes & requisi-
ta in cerevisiæ coctione non ritè se habeant. Ex hac
causâ plebeji verè dicunt Germanicè, **Brauen und
Baden gerâth nicht allezeit wohl.** Sola inter-
dum effluvia aeris in causa esse possunt, Vinum in-
tensè clarescit, si tempore sereno abstrahatur, quod &
Chymici in Tincturarum præparatione & Reguli an-
timonii stellati observârunt. Non rarò cerevisiæ cor-
ruptio oriri potest, præter humidam copiam ab insuffi-
cienti coctione, etiam à malti ac lupuli parca ignis aut
coctionis experientia. Ex his fluit differentia, cujus
ratione varias obtinet cerevisia virtutes, uti enim o-
mnis cerevisia recens insalubris est in primis si turbi-

)(

da

da, quemadmodum Helmont. Tract. de Lithias. c. 4.
§. 20. affirmat: Cerevisiæ novellæ pluribus concitant
stranguriam & obstructions, propter residuum in-
hærentemque recentioris fermenti acorem; Ita quo-
què idem verum est de nostrâ recenti Erfurtenfi.
Quod si verò debito modo sit præparata, probè defæ-
cata, valida & nigricantis coloris, verè vini vicaria di-
citur, æquè enim calefacit & valdè nutrit, ratione lu-
puli & hordei obstructionibus lienis, Epatis, Renum,
maloque hypochondriaco medetur, externè sedat
dolores, contusionibus, luxationibus & tumoribus
succurrit. Præterea lactantibus mulieribus admo-
dum proficua est, pro uberiori lactis proventu, si in
jusculis frequentius assumatur. Atque hoc modo ce-
revisiæ triticeæ & dulci præfertur, quæ viscidum ge-
nerat sanguinem, multosque flatus ac obstructions
parit. Audiamus Joannem Curionem Berckensem,
celeberrimæ Erphordianæ Reipublicæ olim Physi-
cum in Commentario Scholæ Salernitanæ pag. 146.
Erphordiensis cerevisia multum habet substantiæ,
boni est succi, uberrimum corpori exhibet alimen-
tum & vires auget. Sic quoque Jonston. in Idea Hy-
gieines. p. 323. simile iudicium fert, dicens: Cerevisia
Erfurtenfis sanitati maximè conducit, imò præfert
Numburgensi, eò, quod hujus nimio potu quidam
cæci evasere. Quod quidem de omni cerevisiâ dici
posset,

posset, si quis in potando Bonosum imitari velit. Ob
salutarem effectum olim in loca peregrina devecta
fuit, non autem mirum, si non in omnibus unus
idemque effectus sequatur, quidam enim sunt assueti
quidam verò non, in assuetis hic effectus semper ob-
servabilis est, in non assuetis verò res aliter se habet,
à quavis enim novâ aëris, aquæ ac victus ratione
quodlibet corpus mutatur, ex hoc principio Hippo-
crates in curandis morbis mutationem aëris ac victus
adeò commendavit. Interdum effectus hîc inhibe-
tur, si vini potus interponatur cerevisiæ fortiori,
cum solummodo tenui sit interponendum vinum,
non æquè fortiori.

§. IV.

Cum autem Medicus in eligenda cerevisiâ à prio-
ri non omnium naturam unico modulo ac regulæ
aptare possit, meritò in usu cerevisiarum natura ex-
ploranda, atque ea offerenda, quâ quisque delecta-
tur ac minimè læditur. Ex hoc principio quidam
non possunt desuefacere, quorû natura semel assueta
huic cerevisiæ, ita, ut si utantur cerevisiâ tenuiori vi-
res indies absumentur & decrescant. E contra non ne-
gamus, quod, si quis fortiori non sit assuetus, & de-
stituatur tenui, ex hujus usu facilè morbum contra-
here possit, non ratione malitiæ cerevisiæ Erfurtensis
uti nonnulli suspicantur, sed propter insuetudinem
naturæ,

11
Ya
3724
naturæ, & interdum Idio syncrasiam, quâ ratione
quidam planè nullam bibunt cerevisiam, sed puram
putam aquam. Diverso ergò respectu cerevisia no-
stra Erfurtensis & flatus excitare & eosdem discutere,
ut plurimum instar medicamenti obstructions
quosvis in corpore solvere potest.

§. V.

Denique notatu dignum est, quod cerevisia Erfurten-
sis meliorem saporem sæpè acquirat, si in alia loca trans-
vehatur. Nonnulli causam transferunt in bibulorum au-
rigarum vel anabaptistarum dolum, dum dolia variâ ar-
te referare solent. Nos potius id accidere judicamus pro-
pter motum & fermentationem, novamque aëris ac aquæ
mutationem, notum enim est, quod non solum ratione loci,
sed etiam aëris & aquæ præcipuè tot ac diversæ cerevisia
species passim coquantur, ita ut teste Casparo Hoffmanno
Lipsiæ non potuerint Torgaviensem cerevisiam coquere ex
aquâ & polentâ istius loci devectâ. Ex quibus mirifica ope-
ra DEI colligere licet, dum uni loco hoc, alii verò aliud
bonum concessit ac indulgit, modo alii aliud vel eidem de-
negavit, ut eò melius commercia & societates hominum
conservarentur. De Cerevisiâ nostrâ Erfurtensi equidem
plura afferre possemus, simulque demonstrare, quomodo
potior sanitatis pars civium Erfurtensium in hac unice fun-
data sit, & quâ ratione in quovis morbo frigido vices medi-
camenti explere possit. Verùm, quoniam vetat Chartæ an-
gustia, ideoque hæc & alia reservabimus occasione proxima,
ubi DEO Volente Peculiaris Tractatus de hac mate-
riâ propediem lucem videbit.

T A N T U M

1077

Q.N. 132, 31.

DISPL
CE
ER

AMPLIS
PERV
JOAN

Med. Docto
Pub
CHR

DISPL

ni iup
ib mi
sicut vocat
m
sua

AMPLIS
PERV


Med. Docto
Pub

CHR

ERF

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK LICENSED PRODUCT
KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



30

A

ICE

PO

nario,

bigf /

Ya
5724

BIBLIOTHECA
PONTIFICIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

